cum res sumitur par pari comparatur hoc modo quemadmodum fines qui in magis
agrorum uidentur esse quam urbis. Si in urbe de finibus controuersia est
finibus regendis adigere arbitrum non possis; ex eodem similitudinis loco sic
finibus si aqua pluuia in urbe non nocet quoniam res tota magis agrorum est aquae plu
uiae arcendae adigere arbitrum non possis. Ex eodem similitudinis loco etiam
exempla sumuntur. ut crassus in causa curiana exemplis plurimis usus est
qui testamento sic heredes instituti essent. ut si filius natus esset in decem mensibus. is
que mortuus prius quam in suam tutelam uenisset hereditatem obtinuissent. et cetera
quae commemoratio exemplorum ualuit. eaque uos in respondendo uti multum
soletis. Facta etiam exempla similitudines habentium. sed ea oratoria
magis sunt quam uestra. quamquam uti etiam uos soletis; sed hoc modo finge mancipio
aliquem dedisse id quod mancipio dari non potest; num idcirco id eius factum est qui
accepit. aut num is qui mancipio dedit ob eam rem se ulla re non obligauit. In hoc
de philosophis — genere oratoribus et philosophis concessum est. ut muta etiam loquantur. ut mortui
ab inferis excitentur. aut aliquid quod fieri nullo modo possit augendae rei gratia
dicatur. aut minuendae quae hyperbole dicitur. et multa alia mirabilia; sed latior est
id est oratorum philosophorum — campus illorum. Eisdem tamen ex locis ut ante dixi et maximis et minimis in quaes
tionibus argumenta ducuntur. Sequitur similitudinem differentia rei maxime
contraria superiori. sed est eiusdem dissimile et simile inuenire. Eius generis
haec sunt. Non quemadmodum mulieri debeas recte ipsi mulieri sine tutore auc
tore soluas. Item quod pupillae aut pupillo debeat recte possis eodem modo
soluere. Deinceps locus est qui e contrario dicitur. Contrariorum autem genera plura.
Vnum eorum quae in eodem genere plurimum differunt. ut sapientia stultitia.
Eodem autem genere dicuntur quibus propositis occurrunt tamquam e regione quaedam contraria.
ut celeritati tarditas non debilitas. ex quibus contrariis argumenta talia existunt.
Si stultitiam fugimus sapientiam sequamur. et bonitatem si malitiam. Haec quae ex eo
dem genere contraria sunt appellantur diuersa. Sunt enim alia contraria quae priuan
tia licet appellemus latine. graeci appellant στερητικά. Proposito enim in